

In nomine Domini amen. Quoniam, ut ait Scriptura, elemosina a morte liberat<sup>1</sup> et locum minimum non obtinet || inter cetera opera pietatis, igitur noscat tam presens hominum etas quam futura posteritas, quod nos || Heinemannus de Dubena, dapifer regni Boemie, et fratres nostri Albertus et Zcenko libera voluntate et con||sensu omnium nostrum ratas et firmas habemus omnes donaciones factas a progenitoribus nostris de bonis in Zwecen fratribus hospitalis sancte Marie Theuthonicorum Ierosolymitani.<sup>2</sup> Insuper nos et fratres nostri omnia [a]lia<sup>a</sup> bona nostra in Zwecen, que ad nos iure hereditario ex successione materna devenerunt, in agris cultis et incultis, vineis, nemoribus sive silvis, aquis, pascuis, pratis et in omnibus aliis cuiuscumque utilitatis pro remedio anime matris nostre<sup>3</sup> et progenitorum nostrorum et nostra salute liberaliter donavimus predicto hospitali pro Terre sancte subsidio in verum ius et dom[inum]<sup>a</sup> perpetuo possidenda, conferentes nichilominus eidem hospitali plenissime omnia iura et actiones, que nobis in predictis bonis competere dinoscuntur. Testes autem huius per[f]lecte<sup>a</sup> donacionis sunt hii: venerabilis dominus Gebehardus episcopus Brandenburgensis, Heinricus advocatus de Wida, Heinricus advocatus de Plawe, Heinricus advocatus de Gera, Bzlaus de R[yzen]burch,<sup>a</sup> Fridericus de Schoniburch, Heinricus de Coldiz, Albertus de Seberch, Burchardus de Clinginberch, Boto d[e]<sup>a</sup> Turgowe et Theodericus frater eius, Ierco de Waldinberch et Unharth frater ejus, Berngerus de Meldi[n]gin,<sup>a</sup> Rudegerus de Geilnowe et alii quam plures. Ne autem super predict[a]<sup>a</sup> donacione in posterum dubium aliquod oriatur, p[r]esentem<sup>a</sup> litteram sigillo domini marchionis Ottonis, Brandenburgensis illustris principis,<sup>4</sup> et nostri sigilli munimine ro[bo]ramus.<sup>a</sup> Acta sunt hec anno [Domi]ni<sup>a</sup> M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> s[ep]tuagesimo<sup>a</sup> nono, quinto nonas iulii in civitate Pragensi.

*Sigilla: duo in filis sericis fusti et rubri coloris appendent; 1) Ottonis, marchionis Brandenburgensis, valde laesum, verumtamen conservatione integratum. Vide Sigilla num. 1 a, 1; 2) Heinemanni [Henrici] de Dubá, dapiferi Bohemiae, versum, paulum laesum, verumtamen conservatione integratum. Vide Sigilla num. 4, 5.*